

470

468

474

464

479

459

519

419

569

369

Ende

Anfang

459

eum statim in thalamum rapuit. Cum autem juvenis nihil delectabile in ea cerneret, in memoriam duxit delicabilem regionem seque in amorem odibilis foeminae commovit, sicut Boreas in equas Dardani exarsit, et sicut Pasiphae, filia solis, uxor Minois, ab irata Venere infausti amoris flammis succensa amavit taurum et artificio Daedali in ejus venit concubitum et ex eo suscepit et peperit medium taurum et medium hominem. Sic et hic princeps accensus a Venere concubuit cum deformi Multesch et copiosissimam sobolem ex ea suscepit tam bestiarum quam hominum, id est, regionem omnibus bonis affluentem ex illo meruit concubitu. Verum statim celebratis nuptiis ipsam uxorem filius ad patrem misit, quae numquam reversa in aliena terra obiit et ducibus Austriae haereditario jure terram illam dereliquit, quam possident non sine inadvertia domus Bavariae usque in hodiernum diem. In ea Pontina civitate habet dux regiam solemnum et palatium, et civitas habet forum spatiosum ad hastiludia et alias Olympicos Iudos faciendos; ad muros civitatis descendit rapidissimo cursu Inus fluvius, in cuius littore sub Pontina ad milliare est alia civitas, Hallis nomine, in qua est salina et coctura salis pretiosissima. Sunt ibi sartagines tam magnae, ac si in fabrica Jovis per Cyclopes Vulcani servos essent fabricatae. Puto autem cum Aenea Sylvio, hoc oppidum Hallis nomen illud accepisse a flumine minoris Asiae, dicto Allis sine adspiratione, cuius aquae faciliter in optimum decoquuntur sal. Et eadem ratione etiam alia loca Alemanniae, in quibus sal decoquitur, Hall dicuntur (b), ut Hall in Suevia, Hall in Franconia, Hall in Bavaria etc. Vel consuetudine rudis vulgi factum est, ut oppida prius dicta Sal, a salis recoctione dicantur nunc Hall, cum facilioris expressionis sit dicere Hal, quam Sal. Hoc enim modo frequenter mutat vulgus indeictum locorum nomina.

Ex hac salina habet dux per annum thesaurum ingentem auri. Ad latus hujus civitatis descendit consequenter Inus fluvius et longo tractu valles lustrans et impatienter angustiatus violenter penetrans tandem victor evadit et juxta Bocodurum civitatem, quae nunc dicitur Patavia, in Danubium ruit. Igitur de civitate Pontinensi per pontem in magno tumultu egressi sumus, quia eadem hora egrediebatur dux unus Bayariae de Monaco, Christophorus, cum exercitu, fuitque in ponte concursus periculosus

